



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Praeceptvm Adelberonis Episcopi Metensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

PRÆCEPTVM · ADELBERONIS  
EPISCOPI METENSIS.

*De monachis in cœnobio sancti Arnulfi clericorum loco constitutis.*

TOTIVS ordo expetit æquitatis , quo in omni statu & habitu si qua manent iusto correcta moderamine, instantius in augmento promoueantur summo , nec minus iusto quæ videntur pessum dari æqua reformari mensura librationis. Idecirco ego indignus Adelbero , sanctæ sedis Metensium episcopus, operæ premium duxi, vt qui diu mihi commissa in torporis negligentia cuncta duxeram, saltem aliqua quæ corrigerem valerem congruebat sagaci prouiderem industria. Itaque monasterium cunctis notum, scilicet beati Arnulfi, quo videbatur coadunatio clericorum, vtque veridice dicam, & sub testimonio totius ecclesiae, acephalorum sub specie canonicorum regulæ existere, succreuit ardor summi desiderii, vt qui illorum mores & vitam incorrigibilem noueram (namque & hoc experientia diuersarum admonitionum antea cum nostris expertus eram suffraganeis) quo potioribus & vitæ præstantissimis ipsius loci præbendam conuerterem disciplinis. Huius siquidem deliberationis summa fuit, vt eos inde expellerem, & Deo auctore vitam instituerem monasticam, nisi seipso sanctæ illius subderent vitæ. Sed hoc quasi despectui habentes, vt erant iurati cœtu, maluerunt esse pares in imperfectiōnum consensu. Denique consultu nostrorum clericorum, scilicet abbatum vtriusque ordinis, atque fidelium laicorum, præfecimus ibi abbatem, Arbertum nomine, cuius institutionibus in reliquum aduentantes inibi eodem quo definiuimus ordine scilicet monastico erudirentur. Quapropter furoris stimulo veluti de paternis reditibus accensi quidam eorum adierunt regem seniorem nostrum videlicet Ottonem, vanam super hoc garrientes declamationem, quod iniuste proprium abstulisse & veluti hereditarium locum. Cumque vt egeram præfato seniori totum indicarem, illorum floccipendens rationem, vt sapiens & iustus rex, ne in reliquum querimoniis inibi Deo famulantes molestarentur inuidorum, tunc & ipse quod feceram

confirmavit testamento regiae auctoritatis, præcipiens ut pari consensu ad corroborationis auctoritatem idemtide nostra fanciret ecclesia. Quod iuxta desiderii ardorem exequens, ut dehinc sicut statuimus maneat, cum consensu ducis nostri Ottonis videlicet, totiusque ecclesie nostræ, hoc præceptum confirmationis scriptum manibus propriis roborauiimus, & roborandum tam prædicto duci, quamque coepiscopis nostris, fidelibusque dedimus: in Domino, & propter Dominum, omnes successores nostros humiliter postulans, ut sicut diffiniuimus, utque volunt sua quæ diffinierint, rata habere consentiant nostra. Actum Metis publice, sub die Idus Martii, indictione xv. concurrente v. anno XIII. adeptionis episcopatus domini & venerabilis episcopi Adelberonis, hoc testamentum fuit coram cunctis in palatio recitatum, & ab omnibus voluntarie corroboratum.

NOTA IACOBI SIRMONDI  
SOCIETATIS IESV.

*[Adelberonis Metensis.]* Depromptum est ex tabulario sancti Arnulfii. Ottonis vero ducis Lothariensem, cui Otto rex ducatum hunc aliquanto post Gisleberti mortem dederat, meminit in gestis huiusc anni DCCCCXLII. Flooardus. Erat enim more suo Sigibertus Gisleberti obitum differens in annum DCCCCXLIII.

## VITA

ANNO  
CHRISTI  
943.

## MARINI PAPÆ II.

QVI PERPERAM MARTINVS II. NOMINATVR.

MARINVS natione Romanus, post obitum Stephani factus est pontifex, anno Redemptoris nostri DCCCCXLIV. Hic est ille, qui ante viginti tres annos Vdalrico Romam venienti propheticè obitum Adelberonis predecessoris sui reuelauit, eumque eidem successorum prædictit. In vita Vdalrici nominatur pontifex per anticipationem, qui post annos circiter viginti ab eo tempore sedem pontificiam vere occupauit. Pontificatum adeptus, omissis insanabilibus tumultibus bellicis, totum se tradidit ad componendam ecclesiam, tam in cleri,

Marinus  
pontifex  
quando  
electus, &  
qualis fue-  
rit.

Res a Ma-  
rino gesla.